



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Epistola Pacifica Et Commvnicatoria Vrsacii & Valentis ad Athanasium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

II4 IULIVS CONCILIVM CONSTANTIVS IMPP.
CONSTANS

Valens &
Vrsacius
oblato li-
bello poen-
tentiam e-
gerunt.

ANNO
CHRISTI
350.

interfuerunt. Hoc Conuentu Vrsacius & Valens, quasi a sua ipso-
rum conscientia flagellati, præmissis ad Athanasium literis pacificis
& communicatoriis, poenitentiam egerunt, confitentes omnia, quæ
vel dixissent, vel fecissent contra Athanasium, falsa esse, & nihil a-
liud quam calumniam. Neque id simpliciter egerunt, sed ita ut Aria-
nam fidem anathemate execrarentur, suamque poenitentiam scripto
promulgarent. Quod negotium cum grauius esset, quam ut hoc
Mediolanensi Conuentu, licet eidem Romanæ ecclesiæ presbyteri
interessent, absoluere liceret, neve contra antiquum ecclesiæ catho-
licæ morem, alibi quam Romæ, coram ipso pontifice, hæresiarchæ
hæresin suam abiuraturi ad communionem ecclesiæ reciperentur;
eosdem ad Iulium Romanum pontificem miserunt, ut coram ipso
post oblatum poenitentia sua libellum, de quo infra, vniuersa Ro-
mana ecclesia spectante, exomologesin agerent. Quibus peractis
non tantum venia donati, & in gratiam ecclesiæque communionem
recepti fuere, sed etiam encyclicis illis literis Athanasii pacificis &
communicatoriis, quas Alexandriam reuersus miserat ad omnes
extra Palæstinam episcopos, cum multis aliis episcopis subscripte-
runt. Hæc ex epistola synodali sanctorum patrum Ariminensis Con-
cilii, & ex epistola Osii Cordubensis ad Constantium scripta. Baro-
nius anno 350. num. 18. & seqq.

PISTOLA PACIFICA ET COMMVNICATORIA
Vrsacii & Valentis ad Athanasium.

*Domino & fratri Athanasio episcopo Vrsacius & Valens
episcopi salutem.*

Exstat apud
Athanasium
apolog. 2.
Baron. ann.
350. n. 22.

NACTI occasionem per fratrem & compresbyterum
nostrum Museum istuc ad tuam dilectionem eun-
tem, care frater, eius opera admodum te ex Aquileia fa-
lutatum voluimus, optamusque te saluum nostras epi-
stolas perlegere: cuius rei fiduciam nobis daturus es, si
tu quoque in scribendo vices obseruaris. Scire enim te
volumus, pacem tibi nobiscum esse, & communionem
ecclesiasticam intercedere: cuius rei fidem esse volumus
nostram ipsis literis inscriptam salutationem. Diuina pro-
udentia te conseruet, dilecte frater.

LIBELLVS POENITENTIÆ, QVEM VRSACIVS
& Valens Iulio obtulerunt.

Exstat apud
Atha. apol.
1. Sozo. lib.
3. cap. 22.
Baron. ann.
350. n. 22.

QVANDO QVIDEM satis constat, & nos superioribus
temporibus multa grauia de Athanasio per epistolas
criminatos esse, & tuæ humanitatis literis admonitos vt